Super conservatione et reparatione aggeris juxta Geyne (1272)

Johannes Dei gratia electus Trajectensis, universis praesentes litteras visuris notum facimus, quod, cum inter dilectos nostros decanum et capitulum ecclesiae Sanctae Mariae Trajectensis, ex una parte, et priorissam et conventum monasterii de Ostbruch, ex altera, exorta fuisset quaestio coram Gerardo de Reno milite, judice seu visitatore aggeris, a nobis tunc temporis constituto, super conservatione et reparatione aggeris juxta Geyne, versus meridiem, in loco qui dicitur Helle, et in locis adjacentibus, tandem recognitum fuit et inventum ab omnibus, qui dicuntur umbesaten, qui huiusmodi recognitionis interesse consueverunt et debebant, quod huiusmodi conservatio et reparatio aggeris praedicti de jure spectaret ad priorissam et moniales praedictas de Ostbruch, seu ad monasterium suum, et non ad decanum et capitulum ecclesiae Sanctae Mariae praedictae, prout dictus Gerardus miles coram nobis et prelatis ac universali ecclesia Trajectensi publice recognovit.

In cuius rei testimonium praesentes litteras fieri fecimus et sigillo nostro sigillari.

Datum anno Domini MCCLXXII, mense Novembri.

Confirmatio praescriptarum litterarum (1282)

Johannes Dei gratia Trajectensis electus, Suedhero maerscalco, Henrico de Reno, umbesatis et visitatoribus aggeris juxta Yslam et in Geno, salutem in Domino.

Cum jam dudum decanus et capitulum ecclesiae Beatae Mariae Trajectensis quit(i) clamati sint ab aggere in Helle, per umbesatos, et a reparatione eiusdem, sicut per nostras constat litteras super hoc pridem confectas, nolumus aliquatenus super eodem aggere et eiusdem reparatione ipsos contra hoc, quod semel judicatum est et in litteris nostris conscriptum, molestari, ratum non habentes, si secus contra justitiam fuit acceptatum.

Datum apud Trajectum anno Domini MCCLXXXII, in crastino Bartholomei apostoli.